turpitudini servit. Item egenus eque est is qui non satis habet et is cui
satis nichil potest esse. Item optima vivendi ratio est eligenda,
eam iocundam consuetudo reddet. Huiusmodi sententie sim
plices non sunt inprobande, propterea quod habet brevis expositio si ratio
nis nullius indiget magnam delectationem. Sed illud quoque
probandum est genus sententie quod confirmatur subiectione rationis,
hoc pacto. Omnes bene vivendi rationes in virtute sunt collo
cande, propterea quod sola virtus in sua potestate est, omnia preterea subie
cta sunt sub fortune dominationem. Item qui fortunis alicuius indu
cti amiciciam eius secuti sunt, hii simul ac fortuna dilapsa est de
volant omnes. Cum enim recessit ea res que fuit consuetudinis
causa, nichil superest quare possint in amicicia teneri. Sunt
item sententie que dupliciter efferuntur hoc modo sine ratione. Errant qui
in prosperis rebus omnes impetus fortune se putant fugisse.
Sapienter cogitant qui temporalibus secundis casus adversos reformi
dant. Cum ratione hoc pacto. Qui adolescentium peccatis ig
nosci putant oportere, falluntur, propterea quod etas illa non est
inpedimento bonis studiis. At hii sapienter faciunt qui
adolescentes maxime castigant, ut quibus virtutibus omnem
vitam tueri possint, eas in etate maturissima velint
comparare. Sententias rare convenit interponi, ut rei aucto
res non vivendi preceptores videamur esse. Cum ita interponentur,
multum afferent ornamenti. Necesse est enim animo conprobet
eam tacitus auditor, cum ad causam videat accomodari rem
certam ex vita et moribus sumptam. CONTRARIUM.

CONTRARIUM videtur fere esse quod contentio. Contrarium est quod ex rebus
diversis duabus alteram breviter et facile confirmat hoc pacto.
Nam qui suis rationibus inimicus fuerit semper, eum quomodo alienis
rebus amicum fore speres? Item. Nam quem in amicicia perfidio
sum cognoveris, eum quare putes inimicicias cum fide habere
posse? Aut qui privatus intolerabili superbia fuerit, eum commo
dum et cognoscentem sui fore quem speres in potestate? Et
qui in sermonibus et conventu amicorum non verum dixerit

Margin: hii simul ut fortuna